Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 963
Quelle:
Copyright:

triplex difficile rumpitur. Funiculus quo a terra trahimur ad celum est fides spes caritas &c. et clauditur: *ad sedes sidereas transferuntur. Ad quas nos perducat Deus Amen.* Rarissimus certe est, et praeter *Spizelium* a solo *Laur. Pignon* memoratus, qui Autorem *Lombardum* vocat, et cui nec *Mazzuchellius*, neque ipsi Bibliothecarii Ord. T. I. p. 681. quidquam addere potuere. Ante Seculum XV. scripsisse vel Codex noster loquitur.

IX. *fol.* 109. *Incipit Quadripartita.* Quid hoc? Apologorum Moralium Libri IV. quos olim e Codice *Corviniano Viennae* 1630. 12. editos nimium facile *Cyrillo* cuidam adtribuit *Balt. Corderius* e Graeco versos ratus, et nos non semel et hoc, et superiore *Vol.* retulimus. Textus hic integer est, sed dictio frequenter variat. Praefatio orditur: *Secundum Aristotelis sententiam in probleumatibus suis. Quoniam quid in exemplis addiscendo gaudeant omnes, in disciplinis moralibus hoc tamen amplius placet* &c. Cum de Autore nihil dum certi habeamus, advertit me tamen L. III. *Apologus* 23. nobis *fol.* 140. p. 2. edit. *Corder.* p. 265. qui incipit: *Semper inundanti Danubio sic locutum est aequor.* et finit: *Quibus dictis magis Danubius redundavit.* Quid non *Rhenus*, *Tiberis*, *Rhodanus* &c. nisi quod *Danubii* ripas adcoluit Autor?

CCCCXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 66. f. min. eleganter exaratus, coloribus distinctus, et Bibliothecae a. 1721. oblatus a *Thoma M. Alfano* O. P. de quo *Mazzuchellius Scritt. d'Italia Vol.* I. P. 1. continet sequentia: I. *Incipit. Cur Deus Homo. Liber Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi.* Initium: *Sepe et studiosissime a multis rogatus sum* &c. Absque Librorum aut Capitum indicatione nobis decurrit; Pars tamen altera: *Rationalem naturam a Deo factam esse* &c. unciali litera distinguitur. Lectio contenta cum edit. *Paris.* 1721. p. 74. f. raro ab ea dissentit. C. 1. pro *sufficere debeat* Codex habet *sufficere credebatur.* Clausula miniata: *Explicit liber cur deus homo.* R. 51

II. *fol.* 37. p. 2. *Incipiunt sententię quorundam philosophorum.* Sumendum amplissime. Initium enim a *Cicerone: Nullę sunt occultiores insidię, quam hę quę latent in simulatione officii.* Sequuntur Graeci, corruptis etiam nominibus, ut *Menefranes*, *Vias pereneus*, pro *Menecrate* et *Biante Prieneo.* Praecepta Pythagorica: *Stateram ne transilias* (Ζυγον μη ὑπερβαινειν) addita expositione: *id est, ne pretergrediaris iusticiam* &c. nobis inscripta sunt *Enigmata aristotelis*, fortasse, quia hic ea quondam exposuit. Deinceps *Seneca* magnam facit paginam, non tantum promiscuis sententiis, sed etiam ad capita revocatis, puta: *de continentia, prudentia, magnanimi-*